

CARMEN 20.

PROPEMPTI.
CON ERVDITIONE
ET PIETATE ORNA-

TISSIMO VIRO D. IOANNI
VETESIO, DOMINO ET
amico suo colendissimo Viteberga
in Ungariam redcunti

SCRIPTVM

A

THOMA MONOS
PATACHINO.

Die II. Aprilis, Anno
Christi.

1569.

VITEBERGÆ
EXCVDEBAT PETRVS
SEITZ.

KÖNYVTÁRA

honijs innenj Pa
Cyp. Joannes V.

Christe Dei veneranda Patris Sapientia, Lumen,
 Iustitiae pacisq; dator, via vera Salutis,
 (His tibi solennes Ecclesia sancta d. ebus.
 Persoluit grates, cumulatq; altaria donis.
 Et me niniſſe solet celebris de more triumphi,
 Dæmone quem victo, superata & morte reportas)
 In mea vota veni, fer opem Deus alme precanti,
 Ut facilis possim diuino numine fultus,
 Vetusq; redditum nostris ornare Camoenis.
 Qui tua victoris iam dudum signa secutus
 Militat in castris patrio procul orbe remotis,
 Disceret ut pro te certamina magna subire.
 Ta'ibus ad cœlum quando vsus vocibus essem,
 Audit & vultu Deus annuit ipse benigno.
 Sunt tamen in mæsto concepticorde dolores
 Pungentes tenerum crudeli vulnere peccatis,
 Cum tantos gemitus & tot suffiria nobis,
 Digressu linquas propero mea cura Iohannes.

Ast ego discessum subitum quo digner honore?
 Ingenium quibus & doctrinam laudibus ornem?
 Anne probem redditum? vel que solatia mæstus
 Concipiam, precibus fusis missurus amicum?
 Hæc quamuis tenuj non possim carmine cuncta
 In studijs tractæ præclara Encomia vitæ
 Complecti, & brevibus numeris tua dicere facta.

Vt

Iiszántúli Református Egyházkörölet
 Nagykönyvtára, Debrecen

RMK 401

Vt tamen officium videar facturus amici,
Quæ tribuit tibi dona Deus memorare parabo,
Quorum non obscura diu documenta dedisti.
Nam cum paulatim primis excedis ephebis,
Turpe ratus sine fruge fugax consumere tempus,
Sedibus in patrijs obscurum vivere, (tanquam
Rusticitas & humi serpens ignobile vulgus)
Omnibus ignotam tandem deponere vitam.
Sed velut assidui mercator amore laboris
Querit opes, & amicitias & fædera iungit,
Vel cum finitimis vel longinquorbe remotis,
Extremas possit gentes quo tutus adire.
Sic tu consilio pollens dum mente volutas,
Quam sit præclarum multas accelerere ad urbes,
Expediat quantum varias cognoscere linguas,
Doctrina & virtute alijs excellere quid sit,
Protinus etatem postquam fuit apta docendi,
Sedulus in studijs multum vigilando locasti.

Sed postquam matura annis latentibus etas
Venit, & accensum est sancto spiramine pectus,
Liquisti patriam Sophiae perculsus amore,
Consilijs monitus nec non exempla secutus
Multorum, qui Saxoniam petiere, Minervæ,
Musarumq; domum, qua se modo iactat Apollo.
Laudis amor quid non mentes tentare coëgit
Egregias? quod non vitium virtutis amore

Magnanimi spreuere viri? quo monstra domarunt,
Corporis illebecras & turpia facta perosi?
Præterea patriæ facies miseranda, disertas
(Oppugnat Satanæ gemino quam perfidus ene)
Impulit Arctœa Musas regione videre.
Scilicet ut Stygij, diuino numine fretus,
Insidias rabiemq; canis depellere possis.
Hoc opus hic labor est, paucos hoc munere Diu
Dignantur, paucis nota est via vera salutis.

Est Deus in cœlis mundi Moderator & Author,
Qui genus humanum instruxit ratione sagaci,
Ut verum à falso prudens secernere posset,
Et numeros sciret, terræ quoq; climata nosset,
Contemplaretur naturæ facta potentis.
Ast animæ, cui velle datum, bona plurima partem
Ornant, communi virtutis nomine dicta.
Quid rectum docet hæc, quid turpe, quid aut sit ho-
Hanc hominis finem veteres per seq; petendam nestū
Non procul à vero distantes dogmate dicunt.
Hæc duo si nexu iungantur rite tenaci,
Perfectos reddunt homines, Diu isq; propinquos.
Ex istis leges fluxerunt fontibus, inde
Eruta sunt veterum preclara volumina yatum.
Hæc duo fortunæ non sunt subiecta periclis,
His sine non urbes, nec regia sceptra manebunt.
Hæc sunt quas etiam stolidi admirantur, & audent
Diuinos.

Diuinis his exultis decernere bonores.
 Hi benē de populo possunt cum laude mererj,
 Magnorumq; virūm sibi conciliare fauorem.
 Dulcia turbatæ menti solatia præstant.
 Temporibusq; solent animum oblectare serenis:
 Forma decens roburq; perit, sunt omnia vana,
 Sola animi fuerint quæ dona intacta manebunt.

Nunc super est sacrā Sophiā quoq; tangere versu.
Quæ nihil est aliud quam pura noscere verum
 Mente Deum, tūm quem demisit ab æthere Christum,
 Noticia cuius iusti tollemur ad astra.
 Hac primi instructi æternum potuere parentes
 Cernere non vana oblatum sub imagine VERBVM.
 Hac prisci affarj Christum potuere Prophetæ.
 Ventura afflati cecinerunt Flamine sancto,
 Et cum corporibus sublati ad sydera viuij.
 Hæc est à mundi sciuncta scientia rebus.
 Hæc est æternæ certissima norma salutis.
 Prima potest virtus dici & sapientia prima.
 Hac tu præcipue cœtus pars maxima nostri,
 O nimium nimiumq; mihi dilecte Iohannes
 Excellis, veluti testantur plurima signa.
 Namq; Deum casto primis veneratus ab annis
 Pectore, & es toto meditatus in ordine vita,
 Quem genitos propter finem nos esse fatemur.
 Te pietatis amor commendat, & inclita virtus,

Integritas mortum, vita bene gesta prioris,
Virtuti doctrina tue decus addidit ingens.
Gratior est docto procedens pectore virtus,
Virtus bellorum quae non ex post a rapinis,
Invia doctrinæ nulla est via, funere mergi
Nescit, & etemos ea secum ducit honores.
Ergo te dupliciti decoratum tempora lauro
Suspicitus, merito nec dedignamur honore.

Quid memorem cœtum qua dexteritate per annū
Rexeris, & magnos toleraris sponte labores.
Dum tibi commissi non muneris immemor, omnij:
Contendis ratione tuam defendere Spartam.
Hic prestans viguit doctrina, hic viuida virtus
Emicuit, vestrum ingenium moresq; probauit
Functio, cœn nitidum spectatur in ignibus aurum,
Rebus in aduersis virtus tentata nitescit.
Ergo animi tantis donis ornate Iohannes,
Pergito felici patriam contingere cursu.
Conuenit imperio quoniam parere Tonantis,
Patroniq; tui, sanctamq; iuuare docendo
Ecclesiam: Demum nunc sunt bona tempora veris,
Nunc frondent sylvae, nunc gramine prata virenti
Velantur, tellus flores bene fundit olentes.
Pastor ad irriguum fontem requiescit in umbra
Stratus humi, gestis placidam captasse quietem.
Nunc ut iam aëre resonant querulo ore volucres,

Atq;

Atq; animos, dulc; mæstos modulamine mulcent.
 Iam iam carpe viam & felib; vtere ventis,
 Nil pauidus metuas hostis fera tela minacis;
 Angelico septum tutabitur agmine Christus.
 REBV S in aduersis interq; pericula magnum
 Solamen ferare Deo, vacuumq; tenere
 Omni labe animum, turpi vitiog; carentem.
 Dimidium bona mens inimico tempore damni est.
 Non igitur dubites Domino committere finem
 Consilij certe laudandi, deniq; sancta
 Semper amicorum solentur vota tuorum.
 Qui pro te duplices tendemus ad æthera palmas,
 Vnanimes Dominum cunctig; precabimur, ut tu
 Incolumis patrios possis remeare Penates.

Atq; ubi iam steriles fueris transgressus arenas,
 Mox tibi Pannonicæ dulcissima rura patebunt.
 Hic te diuini portantem semina verbi
 Excipient, reducem te complectentur amore.
 Iam supereft precibus nostris comitemur euntem
 Sunt hominum siquidem non irrita vota piorum.
 Te Deus ætherej iustus moderator Olympi
 Conseruet ductor loca per diuersa vagantem,
 Auxilioq; suum per mille pericla ministrum
 Protegat, & saluum patrias deducat in oras.
 Hic quoq; te placidus iuuet et bona cæpta secundet,
 Ut docilem possis dextré informare iuuentam,

Saluificoq; gregem verbo benè pascere Christi.
Impia crudelis non experiare tyranni
Arma, nec infesti noceant tibi dæmonis astus.
Fortiter inuicto contra omnia strenuus ibis
Tela animo, ne te non respondere paratum
Arguerint tumidi furiata mente Sophistæ.
EG Regium decus est Christi pro numine vitam
Linquere, nec mentem assiduis tabescere curis,
Sed pro religione graues tentare labores.
Hæc pietas, ardensq; sacro pro dogmate Zelus,
Perpetuam famam, decus immortale parabit.
Post ubi tempus erit socialia sacra parare,
In tua suppliciter, Deus adsit, vota vocatus,
Successum solitus sanctis concedere cœptis,
Tunc voti compos casto gaudebis amorj.
Nil opus est multo cursum sermone morari,
Nunc vale dicenti fidam mihi porrige dextram,
Tempore enim longo, extremum, quod te alloquor,
Interea ne te capiant obliuia nostri. (hoc est
Nec te pœniteat nomen retinere tuorum.
Me mihi crede tui semper meminiſſe iuuabit.
In nunc i socijs nostris dicture salutem.
Dum licuit simul vñanimes benè viximus, at nunc
Corpore semoti, non seiungemur amore.

F I N I S.

Hiszántúli Református Egyházkerület
Nagykönyvtára, Debrecen